

ARTICULUS PRIMUS.

DE EXERCITIO AUCTORITATIS DOCTRINALIS (1).

61 — Quænam *objecta* auctoritati doctrinali Ecclesiæ subjaceant? Principium generale, et — 62 — applicationes I — quoad *materias scientificas*; II — quoad *conclusiones theologicas* in genere; III — speciatim, quoad *legitimitatem Pastorum*; IV — speciatim, quoad *facta dogmatica*. — *63 — De quibusdam aliis applicationibus, nempe: 1° circa *approbationem Ordinum religiosorum*; 2° circa *canonizationem Sanctorum*. — *64 — Quotuplici modo Auctoritas doctrinalis infallibilitatem suam exerat? — *65 — De variis *formis* quibus injungi possit fides. — *66 — Observationes circa casus in quibus auctoritas doctrinalis absque infallibilitate exercetur.

In hoc articulo, tria imprimis, pro posse nostro examinare refert; videlicet, quænam in *objecta* auctoritas doctrinalis Ecclesiæ sese exercere possit, itemque quotuplici modo et quibusnam sub *formis* infallibilitatem suam illic exercere. — Quædam postea observari etiam poterunt de casibus in quibus sese exercet quin infallibilitatem exerat.

(1) Circa hanc questionem nonnullæ, hisce novissimis temporibus, motæ sunt controversiæ. Alii quippe, sive ex attenuatione quâdam sensûs catholici (Cfr ad calcem *Tr. de Verâ Relig.*, SS. Concilii Vaticani Constit. *De fide cathol.*, p. 329), sive è nimia incredulorum conciliandorum confidentiâ, objectum fidei catholice ad *minimum* quoddam restringere volunt (unde *Minimistæ* ii dici cœperunt), sive *materialiter* illud considerent, i. e., quoad *naturam* rerum quæ infallibiliter doceri possint, sive *formaliter*, i. e., quoad *modum* quo doceri debeant ut infallibiliter doceantur. Alii, è contrâ, quâdam veluti ex adverso obsistentiâ abrepti, illud objectum, sub duplici etiam illo respectu, quàm maximè extendere conantur (ideòque forsân non malè dici possent *Maximistæ*). Hinc, paucis abhinc annis, variæ controversiæ sive in Germaniâ, sive in Angliâ, ubi notatim, — præter nonnullos minimistarum quorundam excessus qui sive ab episcopis, sive ab ipso Pontifice reprimi debuerunt, — controversiam videre fuit inter duos cæteroquin verè catholicos viros, P. Ryder scilicet, qui visus est in *minimum* nimium propendere, et D. Ward in contrarium forsân potiùs euntem. Hic assertionum suarum brevissimum quoddam compendium latinè edidit hocce titulo: *De infallibilitatis extensione* (Londini 1869).

61. — Quænam *objecta* auctoritati doctrinali Ecclesiæ subjaceant. — Hic primò *principium* generale ponendum est; dehinc autem subjungendæ sunt quædam *applicationes*. — Sit ergo

Principium: Auctoritas doctrinalis in Ecclesiâ Christi pro objecto habet omnia et sola generatim quæ in Revelatione Christi continentur vel supponuntur. De iis enim omnibus et solis Christus dixit ad Apostolos: *Euntes docete... omnia quæcumque mandavi vobis; et ecce Ego vobiscum*, etc.

Hinc si verisimiliter appareat nihil de tali talive puncto in Revelatione haberi, eâdem verisimilitudine judicare erit *à priori* nihil de isto puncto ab Auctoritate ecclesiasticâ definitum iri; — sed ita tamen ut si dehinc constaret *à posteriori* aliquid de eo puncto quoquo modo definiri, statim inde concludere oporteret ipsum ad Revelationem reverà pertinere. Non enim accidere potest ut suprema Auctoritas ecclesiastica definiendo excedat forum suum (1).

Nunc verò notandæ sunt imprimis

62. — Quædam *principii applicationes* — I quoad *materias scientificas*; — II quoad *conclusiones theologicas*, in genere; — III speciatim, quoad *legitimitatem Pastorum*; itemque — IV speciatim, quoad *facta dogmatica*.

I — quoad *materias scientificas*: nihil nempe refert utrùm doctrina de quâ agitur, ad Religionem tantùm attineat, an etiam pertingat ad res philosophicas, phisicas, historicas, politicas, etc. De his enim omnibus quædam in Revelatione haberi possunt (2). — Observari

(1) Similes autem non educi possent conclusiones si non de definitione formali vel æquivalenti ageretur, sed tantùm de interdictione disciplinari, Cfr suprâ, p. 161.

(2) Hinc V. in Syllabo adjuncto Encyclicæ: *Quantâ curâ...*, 8 dec. 1864,

tantummodò potest quædam esse de quibus Revelatio *verisimiliter* nihil habet : tales sunt quæstiones quædam meræ curiositatis forsân in metaphysicâ, aut eæ præsertim quæ, in physicâ, ad res *in se* et ultra apparentias pertingunt (V. in *Tr. de verâ Rel., Append. XIV*), vel etiam, in politicâ, ad commoda vel incommoda talis vel talis, in præsentî, nationis attinent. Unde, in his omnibus, non facilè habendum est aliquid pro definito, nisi, omnibus attentè perpensis, ita reverà habendum esse constet.

II — *Quoad conclusiones theologicas in genere* : — Nimirum, præter veritates illas quæ in Revelatione *explicitè* continentur, aliæ sunt quæ continentur tantum *implicitè*, vel etiam non tam in Revelatione *continentur* quàm ab eâ *supponuntur*. Eæ igitur omnes per ratiocinium theologicum educendæ sunt ac concludendæ; ideòque dici possunt generatim *conclusiones theologicæ*. Theologi porrò, ad præjudicandum quousque illæ sub infallibilitate Ecclesiæ cadant et ab eâ definiri possint, in distinctiones et controversias abeunt admodum subtiles, inter quas hæc tantum impræsentiarum statuere juvat : videlicet

1° ubi conclusio aliqua per solam analysim è datis in Revelatione notionibus educi potest, nullâ deforis adjectâ notione, *tunc saltem* sub infallibilitate Ecclesiæ cadere videtur ac per eam fidei nostræ injungi posse : certè enim tunc de Revelationis deposito est. Sic, in ethicâ præsertim, plurimæ morum regulæ implicitè tantum in principiis suis revelatæ sunt; sed nihilominus inde ab Ecclesiâ infallibiliter deducuntur ac declarantur.

2° Ubi autem aliqua interponitur notio jam non in

Prop. X, XI, XIV, LVII. — Cfr Breve Pii IX adversus Fröschammer jam in *Proleg. ad Tr. de verâ Relig.* indicatum; ac V. præsertim SS. Concilium Vaticanum, *Constit. De fide catholica*, cap. IV et canon. 2 (ibid. p. 336 et 340).

Revelatione contenta ad conclusionem aliquam inferendam, jam conclusio hæc non potest dici omninò contenta in Revelatione, ideòque ambigi quandoque poterit *à priori* utrùm illius certitudo sub infallibilitate Ecclesiæ cadat ac per eam confirmari possit (1). Sic Ecclesia infallibilis certè erit ad declarandum *in abstracto* talem actionem talibus etiam circumstantiis vestitam peccatum fore; illud enim judicium è revelatis principiis simpliciter deduci potest : non itidem verò ad declarandum *in concreto* actionem illam cum circumstantiis illis in tali casu locum habuisse, et tale individuum, Titium, v. g., reverà peccasse; hoc enim judicium, quantumvis aliunde certum esse possit, factis nititur nequaquam in Revelatione contentis.

Verumtamen 3° quædam sunt conclusiones è principio revelato illatæ, mediante aliquo facto humano naturaliter cognito sed nequaquam in Revelatione contento, quæ nihilominus sub infallibilitate Ecclesiæ cadunt et ab eâ de fide injungi possunt. Tales enim eæ sunt ut, si Ecclesia circa eas unquam falleretur, ipsa jam non posset subsistere vel missionem suam implere. Atqui Deus in Revelatione promisit Ecclesiam semper subsistere et missionem

(1) Non desunt tamen graves Theologi qui generali modo affirmant talem conclusionem ad fidem pertinere et sub infallibilitate Ecclesiæ cadere posse, dummodò notio interposita *plenâ* gaudeat *certitudine morali* : hæc nimirum ratione quòd ipsius Revelationis existentia ultimato in factis talis certitudinis fundatur : porrò quod cuique sufficit in fundamentis admittendis, quidni Ecclesiæ sufficeret in conclusionibus definiendis?... V. in hoc sensu De Lugo : *De fide*, Disp. I, n. 313 et 316. V. et indic. ap. Regnier; *Theol. Migne* T. IV, p. 709. Nec eos certè impugnare intendimus; nil enim nobis hic in animo fuit nisi citrà omnem rationabilem controversiam stare, in diffidillimis istis quæstionibus.

Quas cæterum nullo modo tam tuto decidere erit quàm *à posteriori*, è praxi nempe veræ et infallibilis Ecclesiæ, ubi agnita erit, sicuti jam prænotavimus. Hoc autem nonnisi post exactum *de Ecclesiâ* tractatum fieri potest, et pertinet propriè ad tractatus *de Fide*, quos V. ap. theologos.

suam semper implere. Ergo eo ipso promisit ipsam circa tales conclusiones nunquam falli posse. — Ideoque rectè dici potest quòd, etsi illæ conclusiones in Revelatione non contineantur, ipsarum tamen veritas à Revelatione *supponitur* (1).

Hujusmodi porrò duæ saltem sunt Conclusionum species, una nempè quæ versatur circa legitimitatem Pastorum, altera quæ spectat ad genuinam veritatis errorisve enuntiationem dijudicandam, et quæ potissimum sub *factorum dogmaticorum* nomine tractari solet. — Igitur

III — *speciatim quoad legitimitatem Pastorum* Ecclesiæ necessariorum, atque imprimis Papæ (2) — Ecclesia enim non posset existere qualis à Christo constituta est, si posset falli in iudicando talem hominem, Pium IX v. g., esse verè Petri successorem et Petri auctoritatis atque infallibilitatis hæredem. Tunc enim aliud sibi daret Centrum atque Caput quàm quod ipse dat Christus, et auctoritatem atque infallibilitatem ei attribueret quam reverà non haberet; unde ipsa in falsam directionem, imò et in falsam fidem induci posset. Ergo Christus, vi promissionum, Ecclesiæ suæ assistere debet ne in tales illusiones incidat (3), præsertim ubi aliquid definitivi à

(1) Hinc certè tales conclusiones dici possunt *de fide divinò*, saltem *mediatà* vel *indirectà*. Non pauci tamen theologi, post Bossuetium, illas dicere assueverunt *de fide ecclesiasticà*: qui quidem loquendi modus, etsi forsàn supervacaneus et ambages multiplicare natus, tamen admitti potest, dummodò Ecclesia in iis etiam verè infallibilis habeatur. V. *APPENDICEM XIam*.

(2) V. Suarez: *De fide*, Disp. V, s. VIII, n. 12, et fusiùs Disp. X, s. v.; — De Lugo, item, Disp. I, n. 325 et ss.; — et, quoad controversias verbo forsàn magis quàm re in hoc emotas (Puyol: *Edm. Richer*, T. I, p. 169, 170), cfr *Append. XI*, mox indic.

(3) Non æquè repugnat Ecclesiam aliquando incidere *in dubium* circa verum Pontificem. Talis enim casus (de quo suprà p. 213) non easdem secum trahit consequentias, sed tantummodò statum importunum prorsùs et indurabilem, qualem Deus Ecclesiam experiri permisit in Magno illo Occidentis

Pontifice accipiendum habet; proindèque, licèt canonica electio vel legitimatio talis vel talis in S. Pontificem sit factum humanum non in Revelatione contentum, Ecclesiæ tamen in hoc dijudicando infallibilitas à Revelatione *supponitur* (1).

Idem etiam dicendum non quidem de legitimitate uniuscujusque episcopi, quippe quæ non universæ Ecclesiæ essentialis est, verùm de legitimitate Corporis episcopalis collectivè sumpti, quippe quod Ecclesiæ universalis essentielle organum est.

IV — *Speciatim quoad facta dogmatica*: — Ecclesia non posset implere missionem quam è Revelatione habet in terris infallibiliter implendam, si posset errare in discernendo sensu obvio et naturali verborum quibus exprimitur veritas quam prædicandam habet, aut error quem habet repellendum. — Ergo, licèt ille sensus è facto à Revelatione prorsùs alieno, è præsentì scilicet hominum usu determinetur, è Revelatione tamen *supponitur* illum

schismate, de quo infrà in *Appendice XIV*. — Itidem et dubium historicè moveri potest circa validitatem electionis vel legitimationem subsequentem quorundam *ætatis*, ut aiunt, *ferreæ* Pontificum, de quibus iudicandi nec occasionem nec tempus Ecclesia habuit. V. Baronium passim in X^o sæc.; ac notatim a. 897, I; 1033, VIII.

(1) Neque inde forsàn Gallicani postliminium quoddam sibi putent apertum ad fidem in definitiones pontificias generatim suspendendam usquedum constiterit Pontificem quàm talem acceptatum esse ab Ecclesià. Hoc enim (quod in ipsum quoque Corpus episcopale retorqueri posset, uti suprà annotavimus, p. 147) non locum habere potest nisi in rarissimo prorsùs casu quo quis legitimitatem Pontificis non certam rationabiliter haberet. Ubicumque verò de illà quoquo modo certus es, jam eo ipso teneris huic Pontifici definienti fidem statim deferre. Si enim fides non haberi posset nisi ex motivis quæ et ipsa ex fide teneantur, jam daretur regressus in infinitum; nec de authenticitate definitionis, nec de legitimitate definientis, imo et totius ipsius Ecclesiæ, nec demum de ipso Revelationis facto unquam certus esse posses. Cfr observata suprà, p. 40, ad obj. D. Schérer; p. 20, ad locum quemdam S. Augustini; etiamque jam in *Tr. de Verà Relig.* p. 46, ad Suarezium.

rectè semper ab Ecclesiâ attingendum fore; proindeque in hoc etiam Ecclesia habenda est infallibilis. — Nec refert utrùm paucis an plurimis doctrina exprimat, utrùm sit brevis tantùm propositio an oratio aut volumen longâ propositionum serie constans; eadem enim in omni casu adest ratio.

Et certè pluribus exemplis constat, omni tempore, in totâ Ecclesiâ, tanquam infallibile habitum fuisse iudicium quo ecclesiastica Auctoritas quædam approbavit tanquam veræ fidei conformia, v. g., Symbola fidei, nonnulla Patrum scripta, Vulgatam Scripturæ sacræ versionem; aut quædam etiam modo definitivo reprobavit, ut, in Concil. C. P. II et consequenti Vigilii papæ decreto, *tria Capitula* Theodori Mopsuesteni, Theodoretii et Ithæ; item, in Concilio Constantiensi, opera Wicleffi, Joannis Huss et Hieron. de Pragâ; ac demum, in XVII^o sæc. ipsum Jansenii *Augustinum*, cujus occasione Janseniani solitis suis insistentes tricis, hanc etiam moverunt quæstionem de *factis*, ut aiunt, *dogmaticis*.

Verùm satis patet ex dictis vanam prorsus esse distinctionem quam illi inducere volebant inter *jus et factum*, infallibilitatem nempe Ecclesiæ agnoscentes, saltem ore tenens, in dijudicandâ *quæstione juris*, id est, utrùm hæretica sit talis vel talis doctrina quam Ecclesia videt in famosis, v. g., *Quinque propositionibus* expressam; illam autem infallibilitatem negantes in dijudicandâ *quæstione facti*, id est, utrùm talis liber, v. g., *Augustinus* Jansenii hanc exhibit doctrinam, proindeque utrùm iste liber sit hæreticus: quod est propriè *factum dogmaticum*. — In quo sanè si Ecclesia non posset iudicare infallibiliter, missionem suam in terris jam implere minimè posset; nam, ut ait apprimè Fénelon (1): « ... Le commandement d'enseigner toutes

(1) Qui nempe in hac re præcipuus est (V. varia ejus opera enumerata à D. Gosselin: *Hist. litt. de Fénelon*, 1^o P., sect. IV, § 1^{er}). — De Bossue-

» les nations n'est pas seulement un commandement de
» bien penser, mais encore un commandement de bien
» parler; car on n'enseigne qu'en parlant... Eh! qu'im-
» porte au corps des fidèles, que l'Eglise pense toujours bien
» si elle parle et enseigne mal en condamnant le discours
» fidèle, et en autorisant le discours qui gagne comme la
» gangrène?... » (1^o Instr. pastor. sur le Cas de consc., § IV).

Nota tamen hanc auctoritatis ecclesiasticæ infallibilitatem versari tantùm in sensu *externo* verborum, qualis ex usu hominum naturaliter intelligendus est, non autem in sensu *interno* quem auctor forsitan in mente habere potuit. Non enim magis de hoc infallibiliter iudicare ad Ecclesiæ missionem necesse est quàm itidem iudicare an talis talisve individuus, Titius, v. g., sit reapse peccator (1).

63. — De quibusdam aliis principii supra positi applicationibus, nempe :

1^o circa approbationem *Ordinum religiosorum* : — Auctoritas enim

tio autem qui non adeò tutus in eâ videtur, cfr dicenda in nostrâ *Append. XI*.

(1) Equidem aliquando Ecclesia expressè dicit talem talemve propositionem damnari *in sensu auctoris* (V., v. g., S. Pium V in Baium). Id autem, ut omnes theologi fatentur, nihil aliud significat quàm propositionem damnari juxta sensum non abstractè determinandum, sed è contextu et circumstantiis in quibus scripsit auctor, naturaliter intelligendum. Imò hæc clausula, ubi non exprimitur, semper generatim subaudita haberi debet.

Hinc, v. g., propositiones *Syllabi Encyclicæ Quanta cura...* annexi (1864), cum variis Actis pontificiis è quibus excerptæ sunt, « conferre omnino non oportet, si qui verum sensum in quo illæ sententiæ pontificiæ auctoritate perstringuntur, elicere velint » (uti monet Actorum illorum editio è typis camerae Apostolicæ, Romæ, 1865). Atque inde etiam constabit earum identitas cum doctrinis generaliori formâ expressis ac damnatis in ipsâ Encyclicâ, cui nempe adjectæ fuerunt ut pateat quàm verè S. Pontifex sese testetur « haud omisisse potissimos hujusmodi errores sæpe proseri » here et reprobare, » itemque profectò ut ipsarum condemnatio, non uno eodemque modo antè facta, vim novam ac uniformem inde accipiat. Cfr suprâ, p. 140.

suprema in Ecclesiâ potest certè infallibiliter definire talem vivendi modum, proindeque talis Ordinis regulam seu constitutiones *speculativè et in abstracto* consideratas nihil habere quod non præceptis ac consiliis evangelicis consonet : non item verò prorsus asseri posset, si practicè vel in facto pronuntiandum foret sive de opportunitate talis regulæ sive de moribus talium Religiosorum. Hic enim æstimare esset circumstantias et facta minimè in Revelatione contenta nec ad Ecclesiæ missionem necessaria (V. suprâ, p. 231) (1).

Et in id quidem nullus quem sciam, dissentit Theologus (2); non autem omninò adeò concordare videntur in id quod sequitur scilicet :

2^o circa *Canonizationem Sanctorum* : — Hic enim nempe, ex unâ parte, datur ab Auctoritate Ecclesiæ supremâ decretum quo cultus talis hominis tanquam in cælo regnantis non solum permittitur quibusdam, (ut fit in *Beatificatione*), sed præcipitur omnibus, (quod proprium est *Canonizationis*); atque inde multi concludunt Auctoritatem ecclesiasticam in hoc errare non posse; secùs enim, aliquid præciperet contra jus naturale et divinum, hominem scilicet damnatum colendum esse ac imitandum : quod repugnat (3). — Ex alterâ parte, reponitur errorem hic fore non circa principium; — quod solum contradiceret doctrinæ Christi; — sed tantummodò circa factum minimè in Revelatione contentum nec ad Revelationis declarationem necessarium (4); atque inde nonnulli negârunt Ecclesiam in hoc è

(1) V., inter veteres Theologos, Bannes : *In 2am 2æ, g. I, a. 10, t. III, p. 77*; — Suarez : *De Relig.*, t. III, l. II, c. xvii, n. 17, etc.; item brevius : *De Fide*, Disp. V, S. VIII, n. 9; — Tanner : *Theol. schol.*, t. III : *De Fide*, Q. IV, Dub. vii p. 279; — Sylvius : *Controv.* L. IV, c. II, a. 16; opp. t. V, p. 339; etc. — Inter recentiores, V. Murray : *De Eccl.* Disp. XVII, n. 220 et ss.

(2) M. Canus qui veluti dissentiens citatur (*De Locis Theol.* L. V, c. v; ap. Migne, t. I, p. 392), de questione *opportunitatis* tantum loquitur, — licèt vividius quàm decet, unde meritò ab aliis reprehenditur.

(3) Et V. M. Canus : *De locis th.*, L. V, c. v. p. 392.

(4) Inde quidem observat Fraignier (*De locis theol.* p. 147) perperam assimilari à quibusdam theologis infallibilitatem Ecclesiæ in canonizatione Sanctorum infallibilitati ejusdem in factis dogmaticis. Ecclesia enim, nisi esset infallibilis in dijudicandâ expressionum vi, proindeque in factis dogmaticis, jam nullo modo posset implere suam in declarandâ Revelatione missionem; secùs autem, si non foret infallibilis in dijudicandâ sanctitate

promissis Christi infallibilem fore (1). — Verùm tamen, quia, ex hoc errore facti, gravissima sequi possent detrimenta tum in Sanctorum cultum, tum forsân in Fidelium mores, tum certè in Ecclesiæ honorem; è *speciali saltem Dei super Ecclesiam providentiâ* securè inferri potest Ecclesiam in hoc nunquam erraturam esse. Atque ita reverà Theologi communissimè inferunt, ut videre est fusè ap. Bened. XIV : *De Canoniz. SS.* L. I, c. XLIII-XLV, concludentes nempe, cum Suarezio, « quamvis hæc illatio non sit de fide » (uti quidam contenderunt, ap. Bened. XIV, ibid. c. XLV, n. 14 et ss, et V. suprâ, p. 164, not. 1), « eam esse satis certam, et contrariam esse impiam, » itemque, cum M. Cano : « qui fidem in his Ecclesiæ detrahunt, eos non hæreticos quidem sed temerarios, impudentes, irreligiosos esse credamus (2). » Nec aliter ferè jam S. Thomas : « ... Judicium Ecclesiæ universalis errare in his quæ ad Fidem per-

talis vel talis hominis. Nec mirum igitur si Theologi, qui generatim infallibilitatem in factis dogmaticis pronuntiant *de fide* saltem, ut aiunt, *ecclesiasticâ* (V. dicta suprâ, p. 232) tenendam, non itidem omninò dicant de infallibilitate in canonizatione Sanctorum.

(1) V. *Glossam* in 6^o, L. III, Tit. XXII *De relig. et ven. SS.*, cap. unic., versùs med.; — Cajetanum card. et alios quosdam veteres Theologos cit. ap. Bened. XIV (*De Canoniz. S. S.* L. I, c. XLIII, 3); — itemque Veron. : *Regula fidei cath.*, ap. Migne *Theol.*, t. I, p. 1369, etc.

(2) Suarez : *De Fide*, Disp. V, S. VIII, n. 8; — Melch. Canus : *De locis Theol.*, L. V, c. v, in fine, ap. Migne, *Theol.*, t. I, p. 392. — Cfr et, inter recentiores, P. Cercia, S. J., in Coll. Rom. professor. : *Demonstratio Cathol.*, sive *Tr. de Eccl. verâ Christi*, T. II, p. 422.

Insuper observare est eos etiam qui fortiùs asserunt infallibilitatem Ecclesiæ in canonizatione SS., non ideò asserere pariter illius infallibilitatem in miraculis eorum dijudicandis : Deus enim assistere potest in conclusionibus quin adstiterit æqualiter in motivis (cfr suprâ, p. 163, 2^o). Unde, ex eo quòd Ecclesiæ ob miracula prudenter examinata et recognita cultum alicujus viri vel loci probaverit, non rectè asseritur ipsam sigillum *infallibilitatis* suæ suprâ miracula illa apposuisse. Ita certè P. Cercia, loco suprâ cit. : « Fidei nec divinæ nec catholicæ esse potest quodcumque miraculum patratum post tempora Apostolorum... Quamobrem, etiamsi miracula » referantur à SS. Augustino, Gregorio, etc., vel probentur in Bullis Rom. » Pontificum, vel in Conciliis generalibus recitentur et confirmantur, utl » de pluribus factum est in Conc. Nicæno II, non superant humanam fidem, » licèt ea sit maxima, ac qui negaret, temerarius extaret. »

» tinent, impossibile est. Unde magis standum est sententiae Papae,
 » ad quem pertinet determinare de Fide, quam in iudicio profert,
 » quam quorumlibet sapientum hominum in Scripturis opinioni...
 » In aliis verò sententiis quae ad particularia facta pertinent, ut, cum
 » agitur de possessionibus vel de criminibus vel de huiusmodi,
 » possibile est iudicium Ecclesiae errare propter falsos testes. Cano-
 » nizatio verò Sanctorum medium est inter haec duo : quia tamen
 » honor quem Sanctis exhibemus quaedam professio fidei est, quae
 » Sanctorum gloriam credimus, *piè credendum est* quòd nec etiam
 » in his iudicium Ecclesiae errare possit» (*Quodlibet IX*, art. 16).

64. Quotuplici modo auctoritas doctrinalis infallibilitatem suam exerat? — Ex dictis, auctoritas ecclesiastica suprema infallibiliter docet, quotiès docet *injungendo fidem*. Porro ita docere potest duplici modo, uno scilicet *ordinario*, altero autem *extraordinario* (1).

I° Modus quidem *ordinarius* consistit 1° in *communi praedicatione Pastorum*, quatenus nempe aliquid communiter praedicant non modò tanquam verum ac revelatum, sed etiam tanquam in Ecclesiam necessariò credendum (2). — Imò

(1) Hinc SS. Concilium Vaticanum (*Constit. de Fide cathol.*, cap. III) :
 « Fide divinà et catholicà ea omnia credenda sunt quae in verbo Dei scripto
 » vel tradito continentur et ab Ecclesia, sive *solemni iudicio*, sive *ordinario et universalì magisterio*, tanquam divinitus revelata credenda
 » proponuntur. »

Item et jam SS. Pius IX in Litteris Apost. *Tuas libenter*..., 21 dec. 1863, (inter *Acta pontificalia* è quibus excerptus est *Syllabus*) : «... Etiam si
 » ageretur de illà subiectione quae fidei divinæ actu est praestanda, limita-
 » tunda tamen non esset ad ea quae *expressis œcumenicorum Conciliorum*
 » *aut Rom. Pontificum huiusque Apostolicæ Sedis decretis* definita
 » sunt, sed ad ea quoque extendenda quae *ordinario totius Ecclesiae per*
 » *orbem dispersæ magisterio* tanquam divinitus revelata traduntur, ideo-
 » que universali et constanti consensu à catholicis Theologis ad fidem pertinere retinentur... Etc... »

(2) Hinc jam Origenes, tempore quo nullum adhuc Concilium œcumenicum, imò nulla ferè definitio solemnis promulgata fuerat, plurima nihilominus recensebat doctrinae puncta tanquam « definita in ecclesiasticà prædi-

et 2°, quia idem profectò Fidelibus colligere est ex iis quae jubentur necessariò observare, quam ex iis quae jubentur necessariò credere, ubi saltem observantiae illae, putà adoratio Eucharistiae, non impleri possent licitè absque fide in tale vel tale dogma, v. g., in Præsentiam realem, — hinc sequitur Ecclesiam non tantum in suà communi praedicatione sed etiam *in suà communi disciplinà* infallibilem habendam esse, — non eo quidem sensu quòd disciplina illa semper futura sit quam maximè perfecta vel opportuna (1), sed eo sensu quòd nunquam fidem supponet necessariò habendam in aliquod dogma falsò revelatum (2).

II° Modus autem *extraordinarius* quo auctoritas Eccle-

catione; » et ea sedulò distinguebat ab his quae relinquebantur liberæ inquisitioni « studiosiorum » (*De principiis*, prologus, n. 3 et ss).

(1) Cfr Bellarmin *De Rom. Pont.* l. IV, c. v, n. 3 et 4.

(2) Hinc S. Augustinus (*Sermo* 294) peccatum originale contra Pelagianos probat è *baptismo parvulorum* apud omnem Ecclesiam admissio. « On
 » n'avait encore tenu aucun Concile, observe Bossuet, pour y traiter ex-
 » pressément la question du baptême des petits enfants; mais parce que la
 » pratique en était constante et universelle, en sorte qu'il n'y avait aucun
 » moyen de la contester, loin de permettre de la révoquer en doute, S. Au-
 » gustin la prêche hautement comme une vérité établie, et dit que ce doute
 » seul emporte le *renversement du fondement de l'Eglise* (n. 20). —
 Bossuet : *Lettre à Leibnitz*, du 30 janvier 1700.

Hujus infallibilitatis Ecclesiae *in disciplinà suà* multae speciatim applicationes fieri possunt in *Liturgià*; nam, ut fert vulgatum effatum, *lex orandi, lex credendi*. Notandum est autem quòd alicujus dogmatis veritas è liturgià probari non potest nisi hoc dogma sit primariò et essentialiter connexum cum cultu et ritibus in totà Ecclesia observandis. Ita, v. g., dogma Purgatorii sufficienter probaretur è precibus pro mortuis. Secus autem dicendum de iis quae secundariò tantum vel obiter in liturgià Ecclesiae memorantur : haec enim potius exprimunt opinionem plùs minùsve communem, quam fidem exigunt. Et V. quae habet Bened. XIV circa maximè cæteroquin venerabilem et credibilem B. V. Mariae, quoad corpus, assumptionem (*De festis*, l. II, c. VIII, n. 18, ap. Migne, *Theol.*, t. XXVI, p. 559), praesertimque circa facta in Breviarii Lectionibus memorata aut Martyrologio inserta (*De canonizat.* SS., l. IV, p. II, c. XII, n. 8; c. XVII, n. 9). — Cfr et M. Canm : *De locis theol.*, l. V, c. x, ap. Migne, *Theol.*, t. I, p. 382.

siaë doctrinalis fidem exigere potest, consistit in *definitione* seu *declaratione solenni* quâ sive à Papâ solo, sive à Papâ cum Episcopis, iungatur aliquid omnibus de fide necessariâ tenendum, — et quidem sive hoc ita jam pridem in Ecclesiâ habeatur, sive non huc usque ita habitum, sed tantùm amodò habendum. Etenim

1° aliquando id quod antea etiamque ab origine Christianismi de fide necessariâ universim tenebatur, apud quosdam sive bonâ sive malâ fide obscurari contingit, imò et negari; ideoque tunc necesse habet conceptis definiiri verbis, ut omni disceptationi ac dubitationi locus præcludatur. Sic consubstantialitas Verbi definienda fuit contra Arianos, et necessitas Gratiaë contra Pelagianos, licet eæ profectò veritates jam de fide necessariâ à Catholicis quotquot ritè edoctis antea tenerentur (1).

2° Aliquando etiam id quod usquedùm habebatur controversum, aut per modum opinionis vel certitudinis privatæ passim tenebatur, Ecclesia in punctum fidei jam necessariæ iudicat erigendum sive post terminatas jam dudum controversias (utî, v. g., ipsimet fieri vidimus circa immaculatam B. M. V. conceptionem); sive etiam ad terminandas controversias adhuc ferventes (utî factum est, v. g., circa necessitatem gratiaë etiam *ad initium* fidei et bonorum operum, contra Semipelagianos (2), et nuper, in SS. Concilio Vaticano, circa Papalem infallibilitatem et plenam potestatem, contra Gallicanos). — Quod certè, quoquo modo fiat, in se semper bonum est ac Fidelibus

(1) Intra veritates prioris hujus categoriaë, quas, contra Protestantes, sarta tectas conservare satis habebat, Concilium Tridentinum, è proposito, stetit; dum Concilium Vaticanum eò præcipuè animum intendit ut controversias inter ipsos Catholicos dirimeret et profectum fidei promoveret per legitimam symboli catholici evolutionem, prout supra ostendimus, in Cap. II, art. 1 passim; V. notatim p. 158.

(2) V. Blanc : *C. d'hist. eccl.*, leq. LXIII; — Jager, cum suis auctoritatibus, t. I, p. 394, 417.

exoptabile, atque, ubi à Pastoribus, ad quos pertinet, opportunum iudicatur, non modò cum submissione sed et cum *gaudio* et *consolatione* (Act. XV, 31) omnibus est suscipiendum (1).

Atque hinc intelligere est quonam sensu in fide Ecclesiæ inveniat simul *immutabilitas* ac *progressus*; et S. Vincentius Lirinensis secum conciliatur dicens, ex unâ parte, « in catholicâ Ecclesiâ magnoperè curandum esse ut id teneamus *quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est* » (*Commonitorium* c. II; ap. Migne, *Theol.*, t. I, p. 913), ex alterâ autem, « in eadem Ecclesiâ *profectum fidei* habendum esse planè *et maximum*, » sed, ut ibidem subdit, « in suo duntaxat genere, *in eodem scilicet dogmate, eodem sensu eademque sententiâ* » (c. XXIII, quem totum legere est, p. 948) (2). Etenim nihil de fide Ecclesiæ fieri potest præter id « quod ubique, quod semper, quod ab omnibus » *implicitè* saltem creditum est; siquidem nulla, à morte Apostolorum, Ecclesiæ nova revelatio datur, nihil proinde in explicitam fidem adduci potest quod non in iis quæ de fide ab omni antiquitate tenebantur, plùs minùsve proximè existerit inclusum. Sic necessitas gratiaë prævenientis includebatur in necessitate gratiaë in genere; immaculata B. M. V. conceptio, in omnimodâ illius sanctitate; infallibilitas S. Pontificis, in necessitate communionis cum illo; etc., etc. — Item, quod de fide necessariâ semel habetur, nunquam *reformabitur*, ne quidem altioris philosophiæ prætextu, utî volebant non ita pridem Guntheriani (3); sed *evolvi* poterit ac *explicari* multiplici sub respectu (4); et quod aiebat S. Gregorius M. de progressivâ Revelationis à Deo dispensatione, idem dici poterit de progressivâ etiam ejusdem Revelationis ab Ecclesiâ explicatione : « Quia, nempe, quantò mundus ad extremitatem

(1) Cfr D. Guéranger : *De la monarchie pontificale*, p. 129.

(2) Huc etiam forsàn cfr ea quæ Latinos inter et Græcos, occasione additionis *Filioque*, disputata sunt in Conc. Flor. Sess. VI; ap. Labbe, t. XIII, p. 90, 95, etc.; itemque ibid. p. 940, 955, etc.

(3) V. ap. Emin. Franzelin, op. cit., p. 261. — Cæterùm contra hunc scholæ Guntherianæ errorem V. Conc. Vatic. constit. *De fide cathol.*, c. IV, in fine, et canon. § IV, 3; ad calcem *Tr. de verâ Relig.*, p. 337 et 340.

(4) S. Vincent. Lirin., loco cit.; et cfr multa ac varia exempla ap. Franzelin, op. cit., t. XXIII, p. 242, 245, etc.

ducitur, tantò nobis æternæ scientiæ aditus largiùs aperitur. » (*In Ezechiel.*, l. II, homil. IV, n. 12).

65. — De variis formis quibus injungi possit fides. — Illa nempe injunctio fieri potest vel *directè*, affirmando veritatem credendam, vel *indirectè*, reprobando oppositum errorem; quod cæterùm in idem recidit; nam, falsitate alicujus propositionis declarata, eo ipso veritas *contradictoriæ* declaratur (1).

Rursùs autem aliqua doctrina declarari potest ad Revelationem plùs minùsve immediatè aut manifestè pertinens, itemque, ex adverso, plùs minùsve directè Revelationi opposita vel oppositionis suspecta. Hinc igitur duplex series *qualificationum*, ut aiunt, seu *notarum*, quæ, in judiciis doctrinalibus Auctoritatis ecclesiasticæ, imò et nonnunquam in privatis operibus Theologorum (2), affigi solent alicui doctrinæ, ad exprimendam ipsius cum Revelatione sive conformitatem sive oppositionem plùs minùsve immediatam ac manifestam. — Sic, ex unâ parte, apud nos Catholicos, aliqua veritas declarari potest imprimis *de fide* (non modò *theologicâ*, scilicet, sed *catholicâ*, i. e., necessariâ ut quis de Ecclesiâ nostrâ habeatur); vel dici potest tantùm huic etiam *fidei proxima*, *pia*, etc. — Item, ex alterâ parte, doctrina prava dici poterit imprimis *hæretica* (quod directè opponitur notæ *de fide catholicâ*, et anathema secum semper importat), vel tantummodò *erronea*, *hæresi proxima*, *temeraria*, *scandalosa*, *piarum aurium offensiva*, etc., etc. (3).

(1) Dico :.... *contradictoriæ*, non autem *contrariæ*. Ille enim in memoriam revocandæ sunt et strictissimè applicandæ regulæ quæ in *Logicâ* traduntur circa *oppositionem propositionum*.

(2) Iis tamen non semel injunxit Sedes apostolica ut abstinerent à censuris quas ita sibi olim inurebant invicem etiamque inter fratres et æmulos, ut videre est inter Suarez et Vasquez : V. *Etudes des P. Jésuites*, févr. 1866, p. 277.

(3) Circa præcisam uniuscujusque ex istis notis significationem, V. Theo-

Quum autem, ex dictis (n. 60), suprema Auctoritas ecclesiastica reverà infallibilis habenda sit ubi infallibilem absolutè se gerit, sequitur ipsam infallibilem habendam esse in decernendo non graviore tantùm notas sed etiam inferiores, dummodò ita teneri ex animo ab universis injungat, sicuti reapse apud nos Catholicos injungere solet (1). — Et ita nostri generatim consentiunt Theologi (2).

Hinc igitur 1º, etsi notæ inferiores non easdem consequentias ac notæ superiores inducere soleant, — maximè quum Auctoritas ecclesiastica notis infra *hæresim* non semper anathema alliget, — gravissimam tamen fidei internæ obligationem importat, quum ab Auctoritate divinitùs infallibili æqualiter procedant.

Hinc 2º, si Auctoritas ecclesiastica suprema pluribus propositionibus simpliciter enumeratis varias notas *in globo*, ut aiunt, affixerit, definiendo, nempe, omnes propositiones illas esse *respectivè hæreticas*, *erroneas*, *scandalosas*, *temerarias*; tunc (quidquid dixerint Janseniani, occasione Bullæ *Unigenitus* hoc modo 101 Quesnelli propositiones damnantis), omnes illæ propositiones habendæ erunt tanquam legitimè damnatæ, etsi de nullâ forsan dici possit quemnam præcisè gradum condemnationis incurrerit.

Hinc demùm 3º cavendum est ab æquivocatione quâdam hodie non rarâ, saltem cum Fidelibus : qui nempe *de*

logos generatim in Tr. *de fide*, vel specialius et fusiùs De Lugo, Disp. XX; Suarez, Disp. XIX, S. II; Montaigne : *De Censuris seu notis theologis*, ap. Migne *Theol.*, t. I. — Brevissimam etiam notiunculam invenies ap. *Etudes des P. Jésuites*, fév. 1866, p. 279.

(1) V. ap. Montaigne, op. cit. art. 1, § 2, 3, et cfr. art. II, § 1 : ap. Migne, t. I, p. 1411 et ss., 1456-57 : — item Murray : *De Eccl.*, Disp. XVII; — DD. Manning : *Lettre Pastorale*, vulgò *Hist. du Conc.*, p. 98-103, ubi plurimæ auctoritates ac rationes resumuntur. — Cfr. et ipsum SS. Conc. Vatic., Constit. *de fide cathol.*, in fine Canonum, p. 341.

(2) Perpaucis exceptis, de quibus V. Murray, l. cit., n. 42 et ss., vel de Lugo, etc., qui opinionem eorum *saltem erroneam* consent. (ap. Montaigne, *Theol.* Migne, t. I, p. 1456, 1458).

fide simpliciter vocare solent quidquid ab infallibili Auctoritate definitur, proindeque verum fidei internæ assensum exigit: ideòque, reciprochè, quum theologi ab eis interrogati circa aliquam doctrinam ab Ecclesiâ quidem notatam sed *infra hæresim*, dicunt contrarium tamen nondùm esse propriè *de fide* (*catholicâ* scilicet), illi statim concludunt iudicium nondùm adesse infallibile, nec verum fidei internæ assensum deberi. Unde, — quantumvis pro Theologi servandæ sint veteres distinctiones, — memorandum est, pro Fidelibus, præcipuum discrimen stare non inter fidem propriè catholicam et fidem simpliciter obligatoriam, sed inter fidem hanc quoquo titulo obligatoriam et liberam opiniones.

Observatio circa significationem quarundam ex istis notis: — Admissâ jam Ecclesiæ infallibilitate in notis etiam hæresi inferioribus, pro doctrinarum merito, decernendis, — quæri potest an eæ ex istis notis quæ vitium quidem aliquod in propositione cui inuruntur, sed non propriè oppositionem illius cum veritate revelatâ indicare videntur, (sic, v. g., quando dicitur *temeraria*, *scandalosa*, etc.), de facto tamen non decernantur nisi propositionibus in se *falsis*.

In hoc porrò non ita planè consentire videntur Theologi; sed plures forsân speciem quàm re differunt. Propositionem enim notâ aliquâ inferiore inustam alii quidem (1) dicunt non inde falsam absolutè probari, sed speculativè saltem adhuc sustineri posse, *non tamen eo sensu vel modo propter quem damnata est* (2). — Alii autem, et qui-

(1) V., v. g., De Lugo: Disp. XX, n. 134; — M. Canum, *De locis theol.*, l. XII, c. ix versus finem; — etc.

(2) V. ap. Montaigne, loc. cit. p. 1542. — Atque hinc Lacroix: *Theol. mor.* t. I, l. I, *de Consc.*, n. 204, postquam dixit non esse adeò certum utrum propositiones eo modo notatæ omnem probabilitatem sicuti practicam ita et speculativam amiserint, et quosdam citaverit in negativam sententiam Auctores, hæc subdit: «... Si tamen (propositio) damnatur ut *temeraria*, et aliquis absque novâ ratione inventâ iudicaret esse veram, » esset error contra fidem, quia iudicaret nunc habere grave fundamentum, » cujus oppositum pro nunc declarasset Ecclesia. » — Quem citat et se-

dem satis communiter (1), illam dicunt ne speculativè quidem jam sustineri posse, sed esse falsam *eo sensu vel modo propter quem damnata est* (2). — Præterea etiam non cum damnatione confundenda est simplex prohibitio, quæ nonnunquam fertur ob circumstantias tantum extrinsecas (3).

66. — Observationes circa casus in quibus auctoritas doctrinalis absque infallibilitate exercetur. — Licet, ex dictis, Auctoritas doctrinalis suprema, in his quæ fidem exigendo docet vel definit, certè infallibilis sit quoad veritatem rerum etiamque expressionum, non item infallibilis esse contendit quoad definitionis *opportunitatem*, quippe quæ non ad Revelationem simpliciter perfinet; etsi intolerabilis prorsus præsumptionis esset in hoc sese Papâ vel Episcopatu sapientiozem efferre (4). — Neque etiam supradicta Auctoritas infallibilis esse contendit in iis quæ definitionibus suis per modum motivi vel observationis interponit (5); non enim iis sed soli definito fidem absolutam exigit.

Præterea autem tum Papa vel generale Concilium, si quando non plenâ suâ auctoritate uti contendunt, tum episcopi particulares ac præsertim Congregationes in S. Pontificis juvamen institutæ, quasdam proferre possunt expositiones aut sententias doctrinales quæ nec sint nec haberi velint infallibiles; possunt etiam ferre simplices docendi prohibitiones, propter aliquod abusûs periculum. — Circa omnia

quitur Reuter: *Theol. mor.*, p. I, t. II, p. 21. — Cfr De Lugo, Disp. XX, n. 134; etc. — V. etiam *Etudes des Jés.*, l. modò indic.

(1) Montaigne, p. 1540, 1507.

(2) Idem iisdem circiter locis. — Cfr et Murray, loc. cit. n. 44, 46, 47, etc.

(3) Montaigne, p. 1419, cfr et 1510, etc.

(4) Imò certè non semper errori aut contradictioni imputandum est si quando Auctoritas ecclesiastica id quod inopportunum primò sive quoad definitionem (uti Vigilius Papa relatè ad *Tria Capitula*) sive quoad modum definitionis (uti Innocentius XII relatè ad librum Fenelonii; V. *Hist. de Fénelon*, l. III, § 72) iudicaverat *in sensu diviso*, opportunum postea iudicavit *in sensu composito*, putâ, attentis hominum quorundam potentium violentiis aut minis. Hoc enim legitimæ prudentiæ esse potuit.

(5) V. Greg. XVI: *Triomphe du S. Siège et de l'Eglise*, c. xxiv, 6; ap. Migne *Dém. Evang.* t. XVI, p. 1039. — Item et M. Canus: *De locis theol.*, l. V, c. v, ap. Migne *theol.*, t. I, p. 383-384.

porò hujusmodi decreta, duplex à nobis vitandus est excessus; siquidem

1° ex unâ parte, eos probare non possumus qui, in rebus aliunde disputationi traditis, toti sunt ut talia ultrò citròque inconsultè invocent, quorum sensum extendere aut vim exaggerare et quasi speculative atque absolutè definitivam tradere non verentur (1). Inde enim accidere posset non modò ut legitima discutiendi libertas cuidam veluti *terrorismo* passim cederet, ac legitimus impediretur scientiæ progressus, verùm etiam ut veneranda Ecclesiæ auctoritas indiscretè committeretur. Et hic sanè memorandum est exemplum illud condemnationis *Galilæi* adeò famosum, adeò hodiedum ab Incredulis, Protestantibus, imò et Gallicanis unicè jactatum, licèt inde profectò nihil ii omnes in sua placita inferre possint; sed nos Catholici romani multum exhinc colligere debemus ad prudentiam moderationemque retinendam (2).

(1) Quædam exempla præcipationis et exaggerationis in asserendis et exaggerandis auctoritatum ecclesiasticarum decisionibus doctrinalibus videri possunt in famoso Maury, tunc archiep. Nicæno, circa varias juramenti vel promissionis formulas in *Revoluzione gallicâ* expetitas. V. *Vie de M. Emery*, t. I, p. 309 et ss., t. II, p. 15.

(2) Huc cfr quæ sapienter monita dabat S. Augustinus circa hujusmodi quæstiones: *De Genesi ad litt.* l. I, n. 37, 39; l. II, n. 38; item et post eum S. Thomas, 1^a, q. LXVIII, a. 1 in corp.— Et quidem hoc adeò famosum Galilæi factum nonnulli recentiores scriptores non rectè exposuerunt, asserentes nempe Galilæum nunquam ob astronomicas suas opiniones, sed tantum ob temerarias Scripturæ applicationes fuisse ab Inquisitione Romanâ damnatum: quod est falsum. Ad accuratam verò totius rei expositionem, adiri possunt D. Biot: *Mélanges scientif. et littér.* t. III, vel *Journal des savants*, juill., août, sept. 1858; — D. Bouix: *Revue des Sc. ecclés.*, févr., mars 1866; vel idem latinè versum, *De Papâ*, t. II, p. 445-487; — D. Th. H. Martin: *Galilée* (1868); — D. Henr. de l'Epinois: *Revue des quest. histor.*, juill. 1867; cfr janv. 1877, et documenta ab eodem denuò publicata: *Les pièces du procès de Galilée* (Palmé, 1877); — maximè autem, utpote cæteros omnes lucidè ac judiciosè résument, D. Gilbert, Lovan. Prof.: *Le procès de Galilée* (Louvain, Peeters; vel ap. *Revue cathol. de Louvain*, 1869), cum articulis ejusdem completivis ap. *Revue des quest. scientif.*, avril et juill. 1877. — Nec certè posteriores saltem Galilæi iudices prorsus justificare est, uti quidam vellent, ex eo quòd illius opinio contra communem tunc temporis Scripturæ interpretationem ibat,

2° Ex alterâ autem parte, multò etiam magis cavendum est ab iis qui iudicium cujuscumque auctoritatis ecclesiasticæ, ubi non plenâ infallibilitate munitum prodit, de facto penè nihil faciendum ducunt sive in speculatione sive etiam in praxi, imò et interdum talium iudiciorum morem apud Ecclesiam impugnant quasi inutilem ac tyrannicum (1). Quæ certè pro catholicis viris vix confutatione indigent. Namque 1° *quoad utilitatem talium in genere iudiciorum*; etsi nonnulla inde accidere potuerint inconvenientia, ut modò observavimus, at quantò certè minora quàm ex illâ dicendi licentiâ quæ aliàs omni ferè semper careret fræno! Et, si quis inde nonnihil molestiæ aliquando accipere possit (2), quot et quanti viri multò feliciorum reipublicæ Christianæ navassent operam, si, talibus correpti, dociles se præbuissem (3)! — Item 2° *quoad obligationem*; satis patet talibus iudiciis deberi non quidem assensum internum fidei, sed quamdam certè, pro gradu auctoritatis, deferentiam etiam interioriorem, ac præsertim obsequium exterius silentii, saltem intra legitimam iudicis ditionem, i. e., pro iudicio quidem Episcopi, intra ejusdem generatim diocësim; pro Congregationum autem romanarum decretis, per totam Ecclesiam, in quam nempe à S. Pontifice constitutæ sunt (4).

absque solidâ adhuc demonstratione. Inde enim poterat quidem exigi ut *per modum hypotheseos* tantum proponeretur, vel, ad summum ipsa reprehendi poterat ut *temeraria*, propter modum absolutum quo asserebatur (cfr suprâ, p. 244), minimè autem damnari ut *hæretica, erronea, vel contraria sacræ Scripturæ*. Neque possent sanè tales qualificationes justificari quin via inde aperiretur Guntheriano illi placito (de quo suprâ, p. 241) circa *reformabilitatem* sententiarum ipsius Ecclesiæ.

(1) Imò et hi non rarò, ad prætexendam suam proterviam, tales auctoritatum ecclesiasticarum ac maximè *Curie Romanæ* decisiones exaggerare affectant atque in rigorem traducere omnis *επιχειρᾶς* expertem, eo nempe vix dissimulato fine ut in odium ac penè derisum illæ veniant. Quod sanè pessimum est gallicani ingenii stratagemata.

(2) V. R. P. Newman: *Hist. de mes opin. relig.* p. 395.

(3) Sint in exemplum opera p.phica Cartesii et Malebranchii, quorum certè major ac purior fuisset fructus necnon tutior successus, si ad normam auctoritatis ecclesiasticæ emendata fuissent.

(4) Hæc pluriès inculcavit, hisce ultimis annis, SS. Pius IX, speciatim in Litt. jam cit.: *Tuas libenter*.... 21 dec. 1863; unde extractæ sunt Prop. XII et XXII, in *Syllabo*, a. 1864.